















2. 6. 195



I. GOTHOFREDI
DE
INTERDICTA
CHRISTIANORVM
cum Gentilibus Communione

EPISTOLA,

DEQVE

PONTIFICATV MAXIMO,

NVM CHRISTIANI IMPERATORES
eum aliquando gesserint.

Ad Celeberrimum Virum

D. ANDREAM RIVETVM.





Sumpt. Ioannis Ant. & Samuelis de Tournes.

M. DC. LIIII.



EPISTOLA

De Interdictâ Christianorum cum Gentilibus COMMVNIONE,

Déque

PONTIFICATV MAXIMO.

SOLEMNE mihi iamdudum est, *Vir Integerrime*, vbi illustris quæstio aliqua in Republicâ, vel inter literatos, agitatur, studium eò quoque meum vt conuertam, exploremque, num quid eam in rem Leges nostræ adjutare valeant, moneántve: saltem, num eò trahi nonnullę, similitudine quâdam vel affinitate possint. Neque tantùm, si de ciuilibus controuersia moueatur, vel de foro quæstio ventiletur, verùm & si de *Ecclesiasticis* disputatio instituatur: nam & eò quoque ciuilis, seu juris Prudentia pertinet: vt quæ ambitu suo non priuata magis quàm publica, non Ecclesiastica minùs quàm secularia complectatur & disponat: Et verò eo æuo, quod mihi nunc propositum est, non sine Episcoporum consilio, vel ad Conciliorum postulationem, dispo nere solebat.

Id verò quod dixi solemne mihi est, non vt inrogatus meam vnquam super quacumque tandem re sententiam expromam, vel alienæ me rei ἀλλοτριοπράγμων immisceam, eámve adtrectem: multò minùs, vt præjudicio aliquo alterutram partem vrgeam: verùm eo fine, vt earum juris Constitutionum, quæ in argumentum trahi possunt, vel solent, genuinum sensum, non sine commodo publico, efferre studeam, eásque à prauis interpretationibus vindicem. Quas quidem multi in iis haud satis innu-

triti incursare, suámque in sententiam improsperè sæpe laudare, solent. Quæ certè haud postrema hodie Iurisprudentiæ quoque labes est: Vbi etiam nonnulli, vt jura altiùs scire credantur, in Codicem Theodosianum, quod vnum & sincerum hodie Constitutionum Imperatoriarum ἔδαφος superest, imò sacrarium, quod non sine multiplici initiatione, pérque majora mysteria, vnquam adiri potest, inuolare solent: Inde potissimùm, vt de nouâ eius editione, quæ nunc seriò accuratur, spes fieri cœpit. Igitur, quod non vnâ iam antè occasione præstitum, idem & nunc apud te, V. Cl. exequi animus est, in celebratâ illâ nunc nuper quæstione seu controuersiâ, cuius paucos ante dies notitia primùm ad me peruênit: quando & ibi video, Legum auctoritatem aduocari: eáque insuper res ad *historiam Ecclesiasticam* pertinet, cuius ego studio iamdiu flagrare cœpi. Non quidem, quod abominor, vt earum Legum argumento, quæ certè quæstionem ipsam & ὑπόθεσιν non absoluunt, scæuum aliquod crimen, multò minùs præcipuum sæculi semper reatum, cuiquam προπετῶς ingeram: maximè, cùm & aliàs sæpe id quod sequius nonnullorum judicio patratur, ἀνοίας (vel ἀγνοίας) μᾶλλον ἢ κακίας ἐστὶ τὸ γινόμενον, vt rectè Chrysostomus, *in priorem ad Corinthios, homil.* 20. *p.* 364. i. incogitantiâ potiùs pensoque minùs consilio quàm malitiâ aut prauitate admittitur, & vt Tertullianus *de Idol. cap.* 20. consuetudinis vitio, accedente ignorantiâ. Illam, inquam, quæstionem in medio nunc relinquentes, illud hactenus tractandum recipimus, *Num Christianorum Imperatorum constitutionibus vllum Christianis Gentilitiæ superstitionis vnà cum Gentilibus participandæ*, vllo μετοχῆς genere, *jus & potestas facta fuerit.* Hæ disquisitionis huius metæ sunt: Nam de Domini & Apostolorum præcepto quis ambigat: cùm tam clara, tam obuia sint passim interdicta? Sed & alia prorsus quæstio est, num diuersis aliquando dissentientibúsque Christianorum inter se sectis, cuiusmodi hodie plures sunt, vnum in corpus con-

venire,

venire, cœtúmque colligere, ſyncretiſmo quodam, fas olim fuerit. Alia quæſtio eſt, num miniſtri fideles, Chriſtiani, ſacrificantibus dominis aſſiſtere poſſint, vel ad Templa Gentilitia eos comitari: quò pertinent quæ de Naamano Syro Scriptura ſacra memorat, quæ Lactantius, *lib.* 4. *cap.* 27. quæ item de Valentiniano Imp. memorantur. Alia item quæſtio eſt, num Paganis è Republicâ Chriſtianâ ſubmotis, Gentilitii ritus quidam rectè in Chriſtianos transfundi, abſterſo Gentilitiæ ſuperſtitionis cœno, éque profano ſacrum & legitimum in vſum conuerti potuerint vel adhuc poſſint. Pariter vt quæſtio de Templis Gentilium hinc aliena eſt, num ea videlicet in Eccleſias mutari poſſint, & quàm ab antiquo factum id: de quo vt ſpero, alibi dicendi locus erit. Alia item quæſtio eſt circa Gentilitiam literaturam, de qua iam olim quæſitum, vtrùm eâ imbui Chriſtiana iuuentus poſſet. Alia denique quęſtio eſt de matrimonio inter Gentiles & Chriſtianos: Quanquàm & hæc omnia communionis ſeu μεθέξεως cuiuſdam ſpecies videri poſſint.

Ad hanc porrò rem noſtram, fruſtra Iuſtiniani Codex in ſubſidium aduocatur, quando eâ iam tempeſtate Pagana ſuperſtitio eò collapſa erat, vt ritus ſuos exercere ampliùs publicitus non poſſet, multò minùs in ſui participatum & conſortium Chriſtianos illicere vel compellere valeret. Quare, retrò nobis veſtigia legenda ſunt, atque ad ea tempora recurrendum, per quæ Chriſtiani perinde Paganiq; veluti duo Reipublicæ membra, in Imperio Romano permixti agebant, Paganíſque adeò ritûs ſui exercendi publicè jus, ſi non in totum, pro parte ſaltem adhuc aliquâ, conſtabat: ſic vt Chriſtianos alicubi huc compellere auderent, vel ſuo exemplo ſaltem contagioque, blandiente aliquâ voluptatis illecebrâ vel vtilitatis ſpecie, in participatum & communionem eos pertrahere. Huic verò rei haud alia commouenda nobis eſt antiquitas, non alia conſulenda epocha, quàm ea ipſa, intra cuius fines Codex

 Theo-

Theodoſianus decurrit; à Conſtantino M. videlicet, ad Theodoſium Iuniorem vſque. Eâ ſiquidem epochâ, Chriſtianâ primùm religione ad Imperium per *Conſtantinum M.* ſubuectâ, ſua nihilominus adhuc ſolemnia Gentilibus vel in totum vel in tantum publicè agitare licuit. Reparatâ dein poſt Iulianum Apoſtatam Chriſtianâ religione ſub *Valentiniano Seniore*, ſua quoque Paganis ſententia, ſui ritus Templáque & Templorum ſolemnia relicta fuêre: Theodoſio M. demum imperitante, & ſacrificia aliquamdiu agitare licuit, & deinceps, ſacrificiis quamlibet interdictis, ſuæ quædam adhuc ſolemnitates, veluti Conuiuia, Feſta, Ludiq; his conſtabant. Et hæ quidem interim quoque tres minores epochæ majoris illius tenendæ ſunt, per quæ inquiſitio nobis ducenda nunc erit, vt inde in ſummam conficiatur, nullum eâ tempeſtate Principum conſtitutionibus Gentilitiæ ſuperſtitionis participandæ Chriſtianis jus fuiſſe. Quo facto ſimul Chriſtianos Imperatores, Iuriſprudentiamque adeo Romanam, eo crimine liberabimus, quo nunc laborare incipiunt & perfunduntur, quaſi μετοχὴν, συμφάνησιν, participatum, communionem, conſortium aliquod cum Gentilibus in Chriſtianis tulerint: Imò, quod poſtremo loco excutiemus, in ſe quoque Principes probauerint.

De nefandis equidem Gentilitiæ ſuperſtitionis ritibus, veluti Deorum, imò dæmonum, cultu, execrandiſque hoſtiarum immolationibus, damnandiſque ſacrificiis, palàm eſt, Chriſtianos ab his abhorruiſſe, neque de eo quiſquam ambigat: verùm de illis ſaltem quæritur, quæ etſi à Gentilibus, religioſo fine aliquo inuecta, defœcatiora tamen, voluptate quadam publicâ vel vtilitatis ſpecie, Chriſtianis ſeſe commendare ſub Chriſtianis Imperatoribus videbantur: In quo alioquin argumento ſub Gentilibus Principibus luſit olim Tertullianus triplici opere, *de Idololatria*, *de Spectaculis*, & *de Corona Militis*.

I. In hac verò inquiſitione à *Conſtantino M.* ſtatim initiũ ducemus,

ducemus, quando & ipſe primus Imperatorum Chriſtiani cultûs initium fecit, ianuámque aperuit. Eius igitur, hoc in argumento, ſingularis conſtitutio occurrit, *in Lege* 5. *Cod. Theod. de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis*: quæ à Cod. Iuſtinian. abeſt, & à nuperis tractatoribus animaduerſa non eſt, in hæc verba:

Imp. CONSTANTINVS A. *ad Helpidium.*

Quoniam comperimus, quoſdam Eccleſiaſticos, & ceteros Catholicæ ſectæ ſeruientes, à diuerſarum religionum hominibus ad Luſtrorum ſacrificia celebranda compelli, hac ſanctione ſancimus, Si quis ad ritum alienæ ſuperſtitionis cogendos eſſe crediderit eos qui ſanctiſſimæ Legi ſeruiunt, ſi conditio patiatur, publicè fuſtibus verberetur: ſi verò honoris ratio talem ab eo repellat iniuriam, condemnationem ſuſtineat damni grauiſſimi quod rebus publicis vindicabitur. Dat. VIII. *Kalend. Iun. SirmI. Seuero & Rufino* COSS. [i. A. D. 323.]

Illud initio ſtatim in hac lege ſpectari cupio, *vim* à Chriſtianis arceri, quâ videlicet Gentiles eos ad Luſtrorum ſacrificia compellebant: Quæ quidem ipſa vis eſt quam & deinceps Gentiles, vbi potiores loco ſeſe crederent, in Chriſtianos audere ſoliti: veluti ad archieroſynam, ſeu ad Templorum, ſolemniumque Templorum curam ſubeundam, de quo eſt Theodoſii M. *lex* 112. *Cod. Th. de decurionib.* Item ad Conuiuia & ſpectacula Gentilitia celebranda, de quo ſunt canones Africani: de quibus poſtea. Ex quo iam patet, Chriſtianos vltro ab huiuſmodi ritûs Gentilitii participatu ſeu conſortio abhorruiſſe, quos Gentiles huc compellere vel adigere niterentur, vt conſacraneos vel ita ſibi redderent. Vis puto niſi inuitis & reluctantibus, non & volentibus adhibetur.

Secundò, hac in lege notari oportet, vim hanc Chriſtianis intentatam, in ipſâmet fortè etiam vrbe Româ, Italiáque: quæ alioquin per Occidentem veteris moris & ſuperſtitionis tum retinentiores erant: Quod & ipſum ex aliis

quoque eiusdem Constantini M. constitutionibus discimus, titulo *de maleficis & mathemathicis*: & titulo *de paganis, sacrificiis & Templis*: Helpidium enim, cui lex hæc inscribitur, cuiq; vis huius amoliendæ, injuriæque vindicandæ, potestas injungitur, Vicarium siue vrbis siue Italiæ tum fuisse oportet: Nam & is, biennio antè, A. D. CCCXXI. agens vicem Præfecti Prætorio disertè vocatur *in l. 6. Cod. Iustin. de ædificiis priuatis.* Sed & *in l. 4. Cod. Th. de nauiculariis*, quæ eidem inscribitur, Portûs vrbis Romę mentio fit: & Lex 1. *Cod. Theod. de feriis*, quæ ad eundem Helpidium data est, *Caralis* proposita dicitur, quæ Sardiniæ vrbs est. Quo quidem tempore, *Siluester* Episcopus vrbis Romæ erat, Osiusque Cordubensis Episcopus Constantino M. in Pannoniâ, *Sirmii*, vbi hæc lex data dicitur, adhærebat: Quorum ideò alterutrius, vel vtriusque suggestioni legem hanc si quis accepto ferat, haud inuitus accedam.

Tertiò, notanda venit huius constitutionis æra, seu temporis characterismus: Lata scilicet ea à Constantino M. *Seuero & Rufino* COSS. i. A. D. CCCXXIII. vndecim fermè annis, inde ex quo is Christianâ primùm fide animum induit. Quo quidem tempore, etsi res Christiana in dies inualesceret, proq; eâ propagandâ multa iam Constantinus molitus fuisset sanxissetq;, nondum tamen Gentilitii ritus omnes, nondum sacrificia prohibita erant, quod posteriùs factum: Sed & Senatorum Magistratuumque quamplurimi, vt & Curiæ ciuitatum, Corporatíque fermè tum Gentiles adhuc erant: Vnde eueniebat, vt alicubi præualentes, vim hanc Christianis adhiberent: de quo querelæ ad Constantinum perlatæ: cui ideò intercedere eâ constitutione visum,

His ita præstructis, de ipsiusmet constitutionis sententiâ videamus. Ad *Lustrorum* igitur nominatim sacrificia, imò in communne *ad ritum* quemcunque superstitionis Gentilitię, Christianos compelli vetat *eâ lege* Constantitinus

nus M. Vbi diſquirendum venit quænam illa Luſtrorum ſacrificia fuerint: vnde poſtea liquere poſſit, quonam ſpecioſo Gentiles obtentu Chriſtianos ad hæc ſaltem ſacrificia, ad hunc ritum, adactos voluerint: Cur retrò id quoq; Chriſtiani haud ſecùs atque alia ritûs Gentilitii recuſauerint, & ipsémet Conſtantinus id tam enixè prohibuerit. *Luſtrorum* igitur ſacrificia hoc loco non ſunt propriè priuatarum & communium ſolennitatum luſtra, ſeu priuatæ luſtrationis officia, quæ nominalibus luſtricíſque inter alia diebus adhibita: quorum meminit, præter alios, hoc quoque ęuo Symmachus, 2. *lib. ep.* 47. *&* 50. Non ſunt item hîc ea priuata tantùm luſtra, quæ ſinguli patres-familias pro frugibus circum arva, quibus fundi luſtrabantur, faciebant, vt auerteretur *mors*, *labes*, *nebula*, *impetigo*, *peſeſtas* (id eſt peſtilentia) quæ legitima horum ſacrorum verba fuêre, teſte Feſto, *in voce Peſeſtas*. Quomodo & in veteri Kalendario ruſtico, menſe Maio, ſcriptum legimus, Segetes Lvstrantvr (quo quidem ipſo menſe Maio hæc ipſa lex data eſt) vt & menſe Aprili, Oves Lvstrantvr. Imò neque hîc ea luſtra accipi oportet, quæ quinto quoque anno peracto Romæ, cenſu ciuium habito, à Cenſoribus condita ſeu facta, ſuouetaurili ſacrificio adhibito: nam & ea iamdudum Romæ fieri deſierant, vt teſtatur Cenſorinus *de die Natali*, qui ſcribebat a. d. 240. *c.* 18. quomodo & Cenſores ibidem tum deſiti, quos inſtaurare quidam poſtea ſed fruſtra, annìſi, vt ex eodem Symmacho diſcimus. Quomodo & luſtra *miſſa* ſuouetaurilibus à Fratribus arualibus legimus in veteri inſcriptione, *fol.* 121. 122. Quid igitur? Luſtrorum ſacrificia hîc ſunt publica luſtra & ſolemnia; ſiue Amburbio, ſiue Ambaruali *proceſſione*, quæ circa pomerium vrbis agróſque fiebant: ductis etiam olim victimis, dictíſque carminibus, die feſto conuiuióque ſolemni: Quæ quidem indicebantur variis cauſis & occaſionibus: Primò quidem, pro fœcunditate agrorum ſeu pro frugibus: Deinde, inſpectis fermè libris


¶¶ Sibyllinis,

Sibyllinis, & lectisternio facto, prodigiis expiandis, & ad pacem Deorum, vt loquebantur, exposcendam. De quo cùm varia suppetant testimonia, Lucani inter alios locus egregius est, *lib.* I. *v.* 592. *& seqq.* vbi de portentis procurandis, déque Arunte aruspice agit.

Mox jubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia Lvstro,
Longa per extentos pomeria cingere fines
Pontifices &c.
Dúmque illi effusam longis anfractibus vrbem
Circumeunt.

Indicebantur & lustra hæc, seu lustrorum sacrificia, ingruente sæuiore aliquo periculo, próque finibus tutandis, cùm pro aris focisq; & solo patrio aduersus hostem aliquem formidandum pugnandum foret, vt ea res populo Romano bene & feliciter eueniret. In quibus lustris seu lustrationibus tædæ sulphurisq; & aquæ lustratio interposita, & aquæ aspergine circumlatæ, vt loquitur Tertullianus. Huius generis fuerunt & Armilustria olim, quibus exercitus in campo Martio, lustrali sacrificio facto lustrabatur: quomodo & alia lustrata, veluti Classes, Templa, areæ, imò & Tubæ, à quibus Tubilustria: de quibus obuia sunt veterum testimonia. Duo tantùm hîc loca sternere iuuat de lustrali sacrificio seu *lustro misso* ob terrorem hostis vel ob pestilentiam. Prior locus est Capitolini, *in vitâ Marci Imp. pag.* 28. *Tantum*, inquit, *terrorem belli Marcomannici fuisse, vt vndique Sacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos* RITVS *impleuerit, Romam omni genere* LVSTRAVERIT, *retardatúsque à bellicâ profectione sit*, CELEBRAVERIT *& Romano ritu Lectisternia per septem dies.* Subjicit ibidem, *tantam pestilentiam fuisse, vt vehiculis cadauera sint exportata sarracísque.* Posterior locus est Vopisci, *in vitâ Aureliani, pag.* 215. vbi, in timore quo iidem Marcomanni cuncta vastabant, ingentésque Romæ seditiones erant, pauentibus cunctis, ne eadem quæ sub Gallieno prouenirent, inspectis

inſpectis libris Sibyllinis & Senatuſconſulto condito, *itum eſt*, inquit, *deinde ad Templum*, *inſpecti libri*, *proditi verſus*, LVSTRATA *vrbs*, *cantata carmina*, AMBVRBIVM CELEBRATVM, AMBARVALIA *promiſſa*, *atque ita* SOLEMNITAS *quæ jubebatur*, *expleta eſt.* Sic quoque ſæpe apud T. Liuium & Iul. Obſequentem, alióſque legas, luſtratam vrbem inſpectis libris Sibyllinis. Huc quoq; pertinent Pagorum luſtrationes, de quibus Sicul. Flaccus, *de conditionib. agrorum ſub finem: Sed & pagi ſæpe ſignificanter finiuntur*, *de quibus non puto quæſtionem futuram*, *quorum territoriorum ipſi pagi ſunt*, *ſed quatenus territoria. Quod tamen intelligi poteſt vel ex hoc*, *magiſtri pagorum quod* [quò] PAGOS LVSTRARE *ſoliti ſunt*, *vti trahamus quatinus luſtrarent.* Cuius loci ſenſus hic eſt, territoria pagorum, ſi de horum finibus quæratur, inde præſumi, æſtimari, atque eatenus ſeu eouſque regi duciq; oportere, quò vſque magiſtri pagorum pagos luſtrare, ambaruali ſacro ſeu luſtro facto, ſolent.

Et hæc quidem publicorum luſtrorum genera fuêre, de quibus pleriſque, vel potioribus ſaltem, in huius Conſtantinianæ legis ſpecie actum videtur: Non tantùm, inquam, de iis quæ pro frugibus, vel ob peſtilentiam labémve auerruncandam facta, vel etiam de pagorum luſtrationibus, verùm de iis quoque quæ ingruente hoſte formidando celebrata. Quod quidem huius Legis æra, ſeu Conſulatus illi ſubnotatus, atque adeò temporis characteriſmus, haud adeò reſpuat. Hic quippe annus ipſe, *Seuero & Rufino Coss.* i. A. D. CCCXXIII. duabus rebus inſignis fuit: nam Gothi per neglectos limites eo anno erupêre, vaſtataq; Thraciâ & Mœſiâ, prædas egêre, quos Conſtantinus M. repreſſit, atque inde ludi Gothici Romæ celebrati: de quo Porphyrius *Panegyrico*, Veteres nummi, Kalendarium *Heruagianum*, Auctor *vitæ Conſtantini*, & Anonymus *Sirmundi*, ſeu Valeſii. Et exortum confectúmque hoc anno ipſo bellum Licinianũ: quo & prima victoria à Conſtantino M.

parta menſe Iunio, bimeſtri ferme poſt hanc legem. Vt proinde his etiam occaſionibus Romani Italiæque municipia luſtrorum ſacrificia celebraſſe videri poſſint: pro hoſtium videlicet illorum ſtrage, contrà pro Imperii Romani ſecuritate, proq; Conſtantini Imp. ſalute & victoriâ.

Ex his quæ modò dicta ſunt, in procliui iam conjectura fuerit, cur Gentiles tum temporis Chriſtianos quos aliò, ſeu ad alia ſacrificia cogere-compellere haud æquè poterant, huc ſaltem, ad luſtrorum inquam ſacrificia, adigerent, cogíque eos jure poſſe putarent. Duplici inquam ratione: Primò quidem, quia hæc luſtrorum ſacrificia grauioribus ſeu funeſtioribus ſuperſtitionis ritibus, victimarúmque fortè immolationibus & circumductionibus iam abdicatis, celebrarentur; neque his hoſtiarum ſacrificia *adcommodarentur*: vt proinde nil impedire videretur, quominus Chriſtiani purâ mente atque illæsâ conſcientiâ hæc luſtrorum ſacrificia cum Gentilibus obire poſſent. Alter obtentus erat publicæ vtilitatis, imò & Imperii Imperatorúmque, inq; hos deuotio, καθοσίωσις: Quaſi, quod Apuleius dixit, *primâ Apologiâ*, in ſimili re, *nihil quod ferendæ ſalutis gratiâ fit*, *criminoſum ſit*. Et certè, Conſtantinus M. ipsémet in aliâ ſpecie huic ſententiæ aliquando ſubſcripſit, ante hanc tamen legem, & per quandam συγχώρησιν, cùm ſuffragia ſeu remedia innocenter adhibita, atque incantamenta illa actúſque impunita eſſe voluit, quæ humanis quæſita eſſent corporibus, quæve proficerent, ne diuina munera & labores hominum ſternerentur. *l. 3. C. Th. de maleficis & math.* Quam quidem legem mirum, Iuſtiniano tanto pòſt probatam, conjectámque eam in ipſius Codicem. Leoni certè Philoſopho ea jure diſplicuit, quam & ideò abrogauit *Nouellâ* 65. Neque dubito ipsúmmet Conſtantinum ab eâ poſtea receſſiſſe, quomodo idem Aruſpicinæ vſum, quem antea tolerauerat, abrogauit. Illo igitur potiſſimùm quem poſteriùs dixi colore, Chriſtianos ad luſtrorum ſacrificia adigendos Gentiles credidêre: Quomodo & aliàs

aliàs probabilis causa visa semper, retinendi veteris moris, seu ritûs, affectus deuotióque erga Rempublicam vel Principem. Quem prætextum in simili quoque specie egregiâ sententiâ damnat Theodosius Iun. *in l. dominico. vlt. C.Th. de spectaculis*: vbi Dominico die, etiamsi Imperialis officii causa prætenderetur, spectacula edi vetat. *At ne quis existimet, in honorem numinis nostri, veluti maiore quadam Imperialis officii necessitate compelli, & nisi divinâ religione contemptâ spectaculis operam præstat, subeundam forsitan sibi nostræ Serenitatis offensam, si minùs circa nos deuotionis ostenderit, quàm solebat, nemo ambigat, quòd tunc maximè Mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cùm virtutibus Dei omnipotentis ac vniuersi meritis obsequium orbis impenditur.* Ergo & hoc quoque obtentu Gentiles Christianos ad lustrorum sacrificia adigebant: sic vt renuentes proculdubio indeuotionis iàm seu impietatis in Principem Rémque publicam arguerent. Contrà auersati id quoque Christiani, tum & deinceps, quasi idololatriæ semel initiatum, seu ob originis maculam & reatum: vt omnem aliam μετοχὴν, συμφώνησιν, συζυγίαν, consortium & communionem, si vel minimum superstitionis retinerent, quamlibèt probabili maximè causâ niterentur, vtilitatéque publicâ velarentur. Vnde manifesta proculdubio Zosimi calumnia videtur, *lib.* 5. *pag.* 816. qui sub Honorio Imp. ipsúmmet Innocentium Episcopum Romanum, in communi periculo metuq; Gothico, in sacra quædam Gentilitia pro tutandis finibus Romanis, & auerruncando hoste, consensisse scribit: *prælatâ*, inquit, *publicâ salute suæ opinioni.* ὁ δὲ τὴν τῆς πόλεως σωτηρίαν ἔμπροσθεν τῆς οἰκείας ποιησάμενος δόξης, λάθρα ἐφῆκεν αὐτοῖς ποιεῖν ἅπερ ἴσασιν. Et similis est omninò huic Zosimi calumniæ altera illa eiusdem *lib.* 5. quâ Constantinum M. ipsúmmet, quamlibèt Christianum, aruspicibus aliquandiu, & ad hoc quidem tempus vsque fidem habuisse scribit: quod etiam nonnulli hodie perperam colligunt ex *l.* 1. *Cod. Th. de maleficis*. qui ibi dudum refutati. Ex illo interim

Zosimi loco quoque discimus, Christianorum alioquin, & in his Episcopi Romani οἰκείαν δόξαν, regulariter fuisse, vt à communione Gentilium abhorrerent.

Sequitur, in hac lege videamus, quosnam ad hæc lustrorum sacrificia Gentiles adactos voluerint, quos contrà Constantinus M. eò adigi noluerit: *Quosdam*, inquit, *Ecclesiasticos, & cæteros Catholicæ sectæ seruientes.* Et mox. *Eos qui sanctissimæ legi seruiunt.* Enimuerò quæri possit, vtrùm hæc de Clericis tantùm accipienda sint, an verò de omnibus Christianis promiscuè. Id quod postremum reor. Ecquis enim in animum ita inducat suum, solos Clericos à Gentilibus ad lustrorum sacrificia compulsos? Quis contrà credat, Constantinum M. solos Clericos ab hac injuriâ immunes voluisse? Nisi quis fortè putet, cæteros Christianos hæc lustrorum sacrificia vltrò cum gentilibus celebrasse, solos verò Clericos id renuisse. Cui profectò renititur quoque generalis huius Legis interdictio, & sub eâ comprehensa ratio: *Si quis*, inquit, AD RITVM ALIENÆ SVPERSTITIONIS *cogendos esse crediderit, eos qui sanctißimæ legi seruiunt.* Quare *Catholicæ sectæ seruientes*, & *sanctißimæ legi seruientes*, hac lege sunt quicunque tandem Christianam fidem amplectentes, τηροῦντες, φυλάττοντες: non verò ὑπηρεσίαν παρέχοντες: Quo sanè sensu propriè dicuntur seruientes Ecclesiis, in *l. 29. C. Th. de Episcopis:* item sacratissimo numini seruientes, *l. 16. Cod. Theodos. de lustrali coll.* Aliud scilicet est, Catholicæ sectæ vel sanctissimæ Legi seruire, id est operari: aliud, Ecclesiæ & sacratissimo Numini seruire, id est ministrare.

Quantoperè verò vim hanc Constantinus M. auersatus sit, ostendit sanctio Legis seu pœnę grauitas, quâ plecti vult eos qui Christianos ad hæc lustrorum sacrificia compellerent: nempe, fustuario supplicio vilioris conditionis homines affici jubet, honoratos verò grauissimam multam subire, quæ rebus publicis pendatur: vbi verba hæc, *rebus publicis*, non de fisco accipiam, verùm de rebus publicis

cuiusque

cuiusque ciuitatis: nam & ita idem Imprator, biennio pòst in specie legis *nulli* 2. *Cod. Th. de judiciis*, pœnam Reipublicæ ciuitatis inferri voluit. Quod si ita est, tum de ciuitatibus & municipiis Italiæ accipiendus locus fuerit, per quam Helpidius, cui hæc lex vti dixi, inscribitur, Præfecti Prætorio vicem agebat.

Et ita quidem Constantini mentem, Constantinianeique simul sæculi hac parte disciplinam vel ex hac constitutione tenemus. Sub quo eodem alioquin Principe, eandem in sententiam, canones quidam occurrunt concilii Ancyrani, quod decennio ante hanc legem celebratum fuit: Varii nempe canones ibi extant, in Christianos, qui tempore persecutionum non tantùm immolassent, verùm & qui vel sacra alia festáque ἐδείπνησαν εἰς τὰ εἴδωλα, & conuiuia cum Gentilibus celebrauerant, συνεστιαθέντων ἐν ἑορτῇ ἐθνικῇ ἐν τόπῳ ἀφορισμένῳ τοῖς ἐθνικοῖς, πρὸς βίαν, μετὰ βίας, vel ἀπειλῇ κολάσεως. Sed & canon nonus ibidem scriptus est aduersus eos qui fratres suos eò compulerant, ínve causâ fuerant, vt eò adigerentur, ἐπανέστησαν, ἢ ἀνάγκασαν ἀδελφοὺς καὶ αἴτιοι ἐγένοντο τοῦ ἀναγκασθῆναι. Vt omittam canones Eliberinos, qui in hac re multi sunt, quia de eorum fide multi ambigunt. Sic liquet, eâ tempestate, damnatam omnem Gentilitii ritûs communionem & participatum, seu ἑτεροζυγίαν, quâ voce inter alias hac in re vtitur D. Paulus 2. *Corinth.* 6. *v.* 14. allusione factâ ad disparis generis animalia, quæ non rectè vni jugo subjiciuntur. Et certè, huius rei paulò pòst adprimè gnarus Iulianus Imp. è Christiano Gentilis, inter cæteras technas, plagas, laqueos, seu inter πάγας ἀσεβείας σοφιστικῶς ἐπινοηθείσας, quibus Christianos Gentilitiæ superstitioni inuolueret, id quoque commentus est, vt Imperatorii cultûs specie, vultus (quæ *Labrata* postea dixêre) Principum, vt & Labarum, adjectis Gentilitiorum numinum simulacris, populis inhiantibus proponerentur: Item, vt ad se accedentibus, ad strenas, seu *ad puncti solatia* consequenda, vel, vt Tertullianus

loquitur, cùm liberalitas Imperatoris expungeretur, acerræ priùs transeuntibus objicerentur, thuri adolendo: quòd sciret is apud Christianos, Christum abnegare, & vel micam thuris adolere, paria videri.

II. A Constantino M. ad Valentinianvm Imperatorem gradum mouemus. Is, Iouiani, momentanei Principis post Iulianum, de quo mox dixi, παραβάτην, qui rem Christianam, quà vi, quà dolo, haud parum adflixerat, Gentilitiósque ritus sedulò reuexerat, successor, inter Imperii licet initia ἐθελοθρησκείαν inuexisset, Christianos tamen proculdubio Gentilitiæ superstitionis communione ne minimùm quidem fœdari voluit: Quando, ne ad custodiam quidem *Templorum* Gentilitiorum homines Christianę religionis adponi voluit: constitutione suâ, quæ extat *l.* I. *C. Th. de fide Catholicâ*, quæ & ipsa abest à Codice Iustinianeo.

Impp. Valentinianvs *& Valens AA.*
ad Symmachum P. V.

Quisquis Iudex seu Apparitor ad custodiam Templorum homines Christianæ religionis adposuerit, sciat non saluti suæ, non fortunis esse parcendum. Dat. XV. *Kal. Dec. Med. Valentiniano & Valente Coss.* [i. a. d. 365.]

Constitutionis istius vim vt adsequamur, de Custodibus istis initio videndum est. Igitur *Custodes Templorum* hîc non sunt Æditui, seu ἱεροφύλακες, tantùm, quales olim adpositi ad curam Templorum, seruandis ibi rebus sacris, vindicandísque iis à furibus, propter opes reconditas, & delubra, simulachra, & supellectilem Templorum ibi repositam: Quorum alioquin custodum & excubitorum frequens mentio, etiam apud Tertullianum, Iustinum, *ep. ad Diognetum:* Cyprianum, *ad Demetrianum:* Arnobium, *lib.* 6. & in jure. *l.* 17. *π. de alimentis legatis*, *l. Seruos* 35. *π. de liberali causâ:* Verùm, quod rectè vidit Card. Baronius, custo-

cuſtodes hic ſunt milites appoſiti Templis Gentilium cuſtodiendis, aduerſus vim ſcilicet & impreſſionem, impetúmque arcendum. Nempe enim, cùm Valentinianus Imperator principatus ſui initio, cultus ſui religoniſq; libertatem Paganis tribuiſſet, quod docet vel lex *eius 9. C. Th. de malef. & math.* (ad quam proculdubio plura qui eius Codicis editionem pollicetur cumulabit) Chriſtiani ipſi, qui ſub Iuliano recenter admodum miris modis vexati attritiq; fuerant, id ægrè ferentes, in Deorum Templa alicubi acceptas iniurias vindicare, inq; ea inuolare, ritúſque Gentilitios diſturbare, anniſi videntur, & quidem intra Præfecturam vrbis Romæ. Qua de re cùm Pagani querelas ſuas ad Magiſtratus pertuliſſent, ex Officialibus illi ſuis ſeu Apparitoribus cuſtodes ad vim arcendam admouêre. Quod & ipſum interim argumento eſt, non de ædituis, qui ἱεροφύλακες, hîc agi: hi quippe non à Magiſtratibus, neque ex Apparitorum cohorte, verùm à ſacerdotibus ipſis & ex ἱερατικῷ ordine adpoſiti: vel etiam à teſtatoribus deſtinati, qui Templa extrui ædificari iuſſiſſent. Et factum illud non damnat Valentinianus: Nam & in commune, qui, vel æqualitate inolitâ, vel vltrò, cultus ſui religioniſque libertatem aliquibus conſtare, eóſque ex æquo agere, vult, necquicquam agit, niſi idem modis omnibus vim amouet: quo alioquin etiam ſpectat lex 2. *Cod. Th. de metatis*: lex 9. 12. 20. 21. 25. 26. 27. *Cod. Theod. de Iudæis*: cuſtodibus etiam, ſi opus, & excubitoribus adpoſitis. Quod egregio exemplo haud ita pridem factum alicubi memini. Sic & Præſides Romani diebus feſtis Iudæorum, quia tum magnus erat populi conuentus, ad Templi cuſtodiam, ne quid ibi tentaretur, cohortem ſeu σπεῖραν τάξιν mittere ſoliti: de quo vide Iohan. Euangel. & Ioſephum non vno loco. Illud tantùm improbat Valentinianus Imp. quòd Chriſtiani ad cuſtodiam Templorum Gentilitiorum adponerentur. Magiſtratus ſcilicet hoc tempore magnam adhuc partem Gentiles, & Romæ quidem, atque intra

Præfecturam vrbis positi, cuiusmodi Symmachus ipsémet erat, cui hæc lex inscribitur, Præfectus vrbi, idémque Epistolographi pater, cùm sat alioquin militum & Officialium Gentilium in Officio suo seu cohorte haberent, quibus hanc Templorum custodiam delegarent, Christianos quoque vel potissimùm alicubi ad id delegêre: non quòd Templorum securitati seu tuitioni ita meliùs consultum putarent: verùm(quod ex seuerissimâ huius legis sanctione colligo) in contemptum Christianæ religionis, & cum plenâ eius iniuriâ, inuidiáque Christianorum: quorum auersam ab omni superstitionis afflatu vel contagio mentem cùm nossent, eius tamen inquinamento eos ita quodam modo objiciebant. Fieri enim non poterat, quin huiusmodi Custodes Templorum, vbi non DEVS, non CHRISTVS inuocabatur (vt apud Christianorum sectas, licèt inter se in aliquo dissentientes) sed vana numina, imò dæmonia, colebantur, inclamabantur, vbi non castæ religiones, verùm funesti ritus exercebantur, victimæ cædebantur, thura adolebantur, visu ipso, prospectu, auditu, afflatu, incestarentur, déque contaminatis ita contaminarentur. Imò fieri vix poterat, vt non aliquo interim, tot inter Ministros sacrorum discursantes, officiúmque peragentes, contactu piaculóve inquinarentur, conspurcarentúrque. Quod certè Valentiniano ipsimet illi, cuius hæc lex est, cùm priuatus adhuc ageret, contigisse memorat Sozomenus, *lib. 6. histor. Eccl. cap.* 6 cùm Iulianum Tribunus ipse Numeri cuiusdam Palatini, qui proximè Imperatorem *custodiæ* & præsidii causâ sequebatur, ad Templum deduxisset: ibi enim à sacerdote (ἱερέα vocat Sozomenus *d. loco*: Theodoretus *lib. 4. cap. 5.* νεωκόρον) *lustrali aquâ* adspersus, non id tantùm Iuliano incoram ægrè tulisse, verùm etiam illicò vindicasse, atque ideò in exilium missus, memoratur. Igitur de eo quod dixi perlatæ querelæ à Christianis ad Valentinianum Imp. quòd sibi eâ re, Christianæque disciplinæ, atrox iniuria contumeliáq;

fieret:

fieret: quæ funestis impiisq; Gentilium sacris, non dico consensum vel conscientiam suam commodare, sed ne sensus quidem suos è tam propinquo contaminari patitur. Hinc adeò Tertullianus, quod huc proximè facit, *cap.* 11. *de Coronâ militis:* militiam armatam in Christiano in vniversum damnatam cupiens, militiæ huius vsum ad absurdum ita deducit: *Et excubabit*, inquit, *pro Templis, quibus renunciauit?* Neque dubito, perlatam hanc querelam ad Valentinianum Imp. à Liberio Episcopo Romano, atque à Synodo Romanâ, quæ eo ipso anno habita, quo hæc lex data est, *Valentiniano & Valente Coss.* Quare etiam directa seu emissa hæc constitutio ad Symmachum Præfectum vrbis Romæ: Pariter vt lex 8. *Cod. Th. de pœnis*, quæ huic ipsi coniungenda videtur, ceu eiusdem constitutionis pars, ad eundem Symmachum P. V. data est, & ad eundem finem collineat: nam & ibi prohibentur Christiani ludo gladiatorio pœnæ loco addici. Nempe, cùm ludi isti, non-ludi, aboleri in totum nondum possent, Christianos saltem his addici noluit Valentinianus: quia Christiana disciplina ludos hos, publicásque huiusmodi voluptatis hostias, auersaretur, oculósque manúsque Christianorum hoc cruento spectaculo pasci, fœdari, communicari, non pateretur, de quo dicetur, vt puto, ad *l.* 1. *Cod. Theod. de gladiator.* Igitur Christianos iis corporibus seu ministeriis aptari noluit Valentinianus, quibus vel sensa eorum manúsq; feritatis vel superstitionis alicuius Gentilitię specie pollui incestari possent. Aliter atque si de ministerio innoxio ageretur, vbi nulla Christianæ religionis iniuria, nullus talis metus subest: Quare Christianus quoque, innoxio, etsi obnoxio valde, pistorum corpori, quod annonę vrbis Romæ seruiebat, pœnæ loco addici potuit: quod ab eodem Valentiniano *l.* 8. *Cod. Th. de pistoribus*, quæ ad eundem Symmachum P. V. data est, imò & his duabus pariter coassanda videtur, constitutum est. Hæc, inquam, Valentinianus Imperator, ne *ministerii* etiam alicuius specie, vel

pœnæ obtentu, Chriſtiani inceſtarentur, polluerentur. Quantominus igitur in Chriſtianis vltroneum quemcunque ſeu ſpontaneum ritûs alicuius Gentilitii participatum, communionem, μετοχὴν & ἑτεροζυγίαν idem tulerit?

III. Ad THEODOSIVM M. tandem delabimur, vt ita propoſitum initio trium Epocharum ordinem impleamus. Huius verò Imperatoris conſtitutio extat *l.* 12. *Cod. Theod. de decurionibus*, quæ & ipſa abeſt à Cod. Iuſtin. & à C. Baronio quoque omiſſa eſt.

Imppp. Valentinianus, THEODOSIVS *& Arcadius AAA. Florentio Præfecto Auguſtali.*

In conſequendâ Archieroſynâ ille ſit potior, qui patriæ plura præſtiterit, nec tamen à Templorum cultu obſeruatione Chriſtianitatis abſceſſerit. Quippe indecorum eſt, imò, vt veriùs dicamus, inlicitum, ad eorum curam Templa & Templorum ſolemnia pertinere, quorum conſcientiam veræ ratio [*vera ratio*, vel *veneratio*] *diuinæ religionis imbuerit, & quos ipſos decebat, tale munus, etiamſi non prohiberentur, effugere. Emiſſa* XVI. *Kalend. Iul. Conſtantinop. Honorio NB. P. & Euodio Coſs.* [i. A. D. 386.]

Quinam fuerint ἀρχιερεῖς, quid ἀρχιερωσύνη, vel ipſo quoq; nomine patet: Frequens ſanè eorum mentio in veteribus quoque Inſcriptionibus. In Gloſſis etiam ἀρχιερωσύνη *Pontificatus*: Sacerdotales pręſides dixiſſe videtur Tertullianus, *cap.* 11. *de ſpectaculis.* Sunt & qui apud Suetonium, *in Caligula*, *cap.* 22. & *Domitiano*, *cap.* 1. vt & apud Capitolinum, *in M. Antonino*, Magiſterium ſacerdotii & Magiſterio fungi in collegio Sacerdotum, pro Archieroſyna dici putant, ſed malè. Ἀρχιερεῖς certè huiuſmodi fuêre olim Scopelianus Aſiæ, de quo Philoſtratus *in eius vita*: ſub Iuliano item Apoſtatâ, Arſacius Galatiæ, Theodorus Aſiæ: ad quos extant Iuliani epiſtolæ 49. & 63. Chryſanthius Lydiæ, apud Eunapium *in vita Maximi*, *pag.* 101. & *in eius*

ipſius

ipsius vita, *pag.* 193. Ex Iuliani interim epistolis discimus, quidnam hoc æuo muneris eorum fuerit: nempe, ἄρχειν ἱερῶν ἁπάντων, καὶ ἀπονέμειν τὸ πρέπον ἑκάστῳ: item ἐπιτροπεύειν τὸν αἰσθητὸν κόσμον: nempe, Templis præesse, & cuique quod conueniret tribuere, externúmque ornatum, qui sub sensus caderet adcurare: Sacerdotes demum, ἱερεῖς, in officio continere, honestatíque eorum consulere. Id ipsum verò ostendit quoque disertè hæc lex: nam quæ initio eius Archierosyna dicitur, eadem mox definitur & describitur, *munus esse*, *ad cuius curam Templa*, *& Templorum solemnia pertinent*: vbi *Templorum* appellatione, vt alibi passim, Templa Gentilium propriè intelliguntur. *Solemnia* verò *Templorum* quid sint, paulò pleniùs disquirendum venit: vnde patebit, quantopere Christianus Princeps Theodosius M. communionem omnem, seu participatum, contesserationem, μετοχὴν, cum Gentilibus & Gentilitiis ritibus auersatus sit. Igitur *solemnia Templorum* (quomodo & solemnitates passim dicuntur apud Tertullianum, aliósque, & in *l.* 19. *Cod. Theod. de Pagan. sacr. & templ.* consuetudinis Gentilitiæ solemnia: *l.* 2. *C. Th. de malef. & mathem.*) erant, quæ votorum, i. lætitiæ publicæ & religiosæ, celebritates dicuntur, in eiusdem Theodosii M. *l.* 8. *Cod. Th. de Paganis*: vota publica, *l.* 17. *eod. tit.* festi conuentus ciuium, communísque lætitia hominum, *d. l.* 17. Ludi seu priscarum voluptatum solemnitates, *l.* 3. *eod. tit.* quibus scilicet superstitionis Templorum, seu Gentilitiæ aliquid adhęrebat. Festa item conuiuia, indidem profecta, eodémve pertinentia, vt colligitur ex *l.* 19. *eod. tit.* Kalendarum item Ianuariarum, per hæc adhuc tempora, solemnitas, quæ & festis conuiuiis peragebantur: vt horum temporum scriptores, ne vetustiora afferam, testantur, Ambrosius *Sermone* 17. Libanius, *Oratione peculiari in id*, Asterius quoque *homilia* 4. *peculiari* inter Rubenianas, Prudentius, *lib.* 1. *contra Symmachum*: Augustinus, *epist.* 64. Vota item propriè ita dicta, quæ tertio die Ianuarias pro salute Principis

in Templis ſuſcipiebantur, feſtiſque pariter conuiuiis ὀρ-χέαις tranſigebantur: quæ agitata adhuc ſub Conſtantino M. quod diſcimus ex Kalendario Heruagiano: imò ſub hoc eodem Theodoſio M. per Aſiam, vt prodit eius æui ſcriptor Eunapius, *ſub finem vitæ Maximi*, *pag.* 113. quæ & ipſa in Synodo Trullenſi, *canone* 62. βοτὰ dicuntur, vbi Balſamo, & Matthæus Blaſtares, *in Nomocanone* τὸ ςοιχεῖον E. περὶ ἐθῶν ἑλληνικῶν, iocule lapſi ſunt, cùm βοτὰ iſta ἀπὸ τῆς βοτῆς, i. ἀπὸ τῶν προβάτων deduxêre, idq́; feſtum in honorem Panis agitatum prodidêre. Hoc numero erant & Saturnalia, *Brumæq́*, quæ Tertullianus memorat *cap.* 10. & 14. quæ ipſa in dicto canone Trullano *Bromalia* dici videntur, quæ idem Balſamo, Zonaras, & Matthæus Blaſtares, in honorem Bacchi (qui *Bromius* dictus) agitata ſcribunt: quod etiam ſequitur Tzetzes, *in lib.* 2. ἔργων *p.* 154. In hoc quoque ſolemnium numero fuêre luſtrorum ſacrificia, de quibus ſuprà dictum. Ad hęc igitur, & ſimilia, Templorũ ſolemnia, eorúmq; curam, Chriſtianos hoc ęuò Gentiles adigendos putabant. Eſt & vbi ea à Chriſtianis ipſis vltrò contagione quadam cum Gentilibus concelebrata, inq; ritus Chriſtianos tranſiêre: de quo ſunt huius æui ſcriptorum querelæ quos ſuprà memoraui. Quare & Synodi & Principes, quantum in ſe, huic rei obuiàm iuêre: & hac quidem lege Theodoſius M. vetitis Chriſtianis ab horum ſolemnium curâ. Quomodo iam olim quoque ab horum ſolemnium ritu Chriſtanos dehortatus eſt Tertullianus, *de Idololatria*, *cap.* 17. vbi inter alia: *ô melior fides Nationum in ſectam ſuam, quæ nullam* SOLEMNITATEM *Chriſtianorum ſibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecoſten: Etiamſi nouiſſet*, NOBISCVM NON COMMVNICASSET: *timerent enim ne Chriſtiani viderentur: nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur?* Et Auguſtinus *ſermone* 6. *de verbis Domini. Si quæritis vnde vincantur Pagani, vnde illuminentur, vnde ad ſalutem adducantur? Deſerite omnes* SOLEMNITATES *ipſorum, deſerite nugas eorum, & ſi non conſentiant*

veritati

veritati nostræ, saltem pudeat prauitatis suæ. Hæc igitur solemnia illa sunt Templorum, quæ agitata, etiam cum magnâ dictorum factorúmque licentâ; de quo sub eodem Theodosio M. Libanius ἐπὶ ταῖς διαλλαγαῖς, *pag.* 413. 414. Quorúmque cura *Archierosyna* dicta: eáque Curialibus seu Senatoribus ciuitatum, & potioribus quidem inter eos, quiq; patriæ plura præstitissent, pro magno delata: In tantum, vt Christiani quoque Curiales eam amplecterentur, imò, quod ex hac lege discimus, magnâ prensatione ambirent: ideò scilicet, quòd Archierosyna hæc nonnisi εὐταξίας & κόσμου cura iam esset: & munus, vt ipsi putabant, superstitione vacuum, etsi circa Templa Templorúmque solemnia occupatum. Idq; nominatim factum per Ægyptum, ad cuius ideò Præfectum (qui *Augustalis* dicebatur) hæc lex data est, cuius metropolis Alexandria: Per Ægyptum, inquam, quæ superstitionum mater, & vbi, hoc adhuc tempore, sacrificia stabant: quod docet anno superiore proximo 385. *lex 9. Cod. Th. de Paganis*: anno quippe demum proximè sequente 387. missus Cynegius Præfectus Prætorio in Ægyptum, sacrificiis ibi prohibendis, quod testatur Zosimus, *lib.* 4. *pag.* 762. & Idacius *Chronico:* quod consummatum A. D. 391. per Euagrium Præfectum Augustalem, & Romanum Comitem Ægypti, Theophilo Ep. Alexandrino satagente, vt testatur Eunapius, *in vita Aedesii, pag.* 73. *&* 77. & adstipulantur non tantùm Ecclesiasticæ historiæ scriptores, & Zosimus *lib* 5. *pag.* 799. verùm etiam *lex* 11. *Cod. Th. de Paganis*, vt ad eam iam olim adnotatum. Interea igitur, antequam id fieret, his Coss. HONORIO *Nobili Puero & Euodio* COSS. i. A.D. 386. cùm per Ægyptum Templa Templorúmque solemnia adhuc starent, Archierosynæ quoque munus stetit, seu Templorum, solemniúmque istorum, cura: Quæ Christianis quoque impacta, imò etiam ab his vltrò suscepta. Quod Theodosius M. hac lege interdicit: Neque dubito, ad suggestionem Theophili, Ep. Alexandrini, quo, vt

dixi, instante sacrificia per Ægyptum prohibita, templáque occlusa & euersa fuêre.

Et *Ratio* summopere hîc notanda, quam subjicit Theodosius M. quæq; pro generali regulâ seu canone in hoc argumento substernenda est: *Quòd indecorum sit, imò, vt veriùs dicamus*, INLICITVM, *ad eorum curam Templa & Templorum solemnia pertinere, quorum* CONSCIENTIAM *vera ratio* [veneratio] *diuinæ religionis imbuerit: & quos decebat, tale munus, etiamsi non prohiberentur, effugere.* Nempe, etsi Christiani Archierosynæ munus obeuntes, non ipsi quidem Templorum cultu superstitionéque mentem suam & conscientiam obligarent, etsi etiam solemnia illa haud adeò superstitiosè tum implerentur, attamen vel ipsa Templa, Templorúmque solemnia *curare* Christianos, non indecorum modò, verùm etiam illicitum visum: isq; casus, *conscientiæ* casibus annumeratus: ἀθέμιτον in simili re dixit Gratianus Imp. apud Zosimum, de quo paulò pòst. Et huc verò proximè iam pertinet Tertulliani locus *de Idololatr. cap.* 16. *Neque consilio, neque sumptu, aliáve* OPERA *in huiusmodi fungar:* & *cap.* 17. *Neque sacrificet*, inquit, *neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non* CVRAS TEMPLORVM (vide & *l.* 17. *π. de alim. leg.*) *deleget, non vectigalia eorum* PROCVRET, *non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis* PRÆSIT. Sunt enim hæc omnia, vt & istud de quo hac lege, etsi non sacrificia, certè ADSACRIFICII saltem genera; quam vocem ex Agobardi Codice, quo & ipse priùs vsus sum, Tertulliano rectè restituit vir doctissimus *dict. cap.* 16. quomodo & *admilitiam* dixit Arcadius Charisius, *l. vnic. π. de off. Præf. Prætorio:* vbi Magistros equitum Dictatoribus olim *adsociatos* dixit, PARTICICIPALES *curæ* ADMILITIÆ *gratiâ*. *Admilitia* est commilitium, συστρατεία: vt *adsacrificium*, συνθυσία. Nempe eo solo quòd Templorum solemnia, invectáque ea à Gentilibus superstitioso fine aliquo essent, *atque ita publicè celebrarentur in honorem sacrilegi ritus*, eorum curam

curam Christianis non competere, non conuenire censuit Theodosius M. superstitioso, inquam, fine aliquo inuecta: exempli gratiâ, votorum celebritates ludíque in honorem Deorum fermè instituti erant, vt pluribus exequitur Tertullianus *libro de spectaculis:* quin, vt idem ait, paratura omnis spectaculorum ex Idololatria constabat. Sic & Constans Imp. ludorum originem ex templis exortam testatur, *l. 3. Cod. Th. de Pagan. sacrif. & templis.* Et ante eum Lactantius *lib. 6. diuin. Institut. cap. 20. extremo, Ludorum celebrationes Deorum festa sunt: siquidem ob natiuitates eorum, vel templorum nouorum dedicationes, sunt constituta:* ibidémque, quod ad hanc rem nostram egregiè facit, concludit: *Si quis spectaculis interest, ad quæ Religionum gratiâ conuenitur, discessit à Dei cultu, & ad Deos se contulit, quorum Natales & festa celebrauit.* Et Dio *lib. 60.* ἐν γὰρ δὴ τῇ τοῦ Αὐγούστου νουμηνίᾳ, ἐν ᾗ ἐγεγένητο, ἠγωνίζονται μὲν ἵπποι, οὐ διὰ ἐκεῖνον, ἀλλ' ὅτι ὁ τοῦ Ἄρεως ναὸς ἐν ταύτῃ καθιέρωτο, καὶ τοῦτο ἐτησίαις ἀγῶσιν ἐτετίμητο. Notúmq; , Natales, seu encænia & *Dedicationes Templorum,* festos fuisse. Idémq; dicendum est de *Conuiuiis* Epulísq; συμποσίοις, in honorem Deorum institutis: quorum gratiâ fuêre & φρατρεῖαι, *confraternitates.* Et verò hac ipsâ de causâ Conuiuia, hęc, sicut & Ludi, in Christianis improbata: ad quę est etiam vbi Gentiles prępotentes eos cogere solebant. Cui rei similiter obuiàm iuêre Patres Africani paulò pòst, A. D. 399. (vt ipse quoque censeo) in concilio Karthaginensi sub Honorio Imp. Theodosii M. huius filio, conditis in id duobus canonibus, qui in Codice Africano exstant, 60. & 61. *Illud etiam petendum* [ab Imp.] *vt quoniam contra præcepta diuina* CONVIVIA *multis in locis exercentur,* QVÆ AB ERRORE GENTILI ATTRACTA SVNT, *ita vt nunc à Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia iubeant, & de ciuitatibus & de possessionib. impositâ pœnâ prohiberi.* Et canon 61. *Nec oportere etiam quenquam Christianorum cogi ad hæc spectacula: maximè, quia in*

his exercendis quæ contra Dei præcepta sunt, nulla persecutionis necessitas à quoquam adhibenda est, sed, vt oportet, homo in liberâ voluntate subsistat sibi diuinitus concessâ : CORPORATORVM *enim maximè periculum considerandum est, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad spectacula conuenire.* Hactenus Patres Africani, qui disertè Conuiuia ista ab errore Gentili attracta fuisse aiunt, ἐκ τῆς ἐθνικῆς πλάνης προσενεχθέντα, vt habet Græca interpretatio : & vt Balsamo, ἀρχὴν ἐσχηκότα ἀπὸ τῆς ἑλληνικῆς πλάνης. Quare etiam tandem, cùm voluptates istæ festáque Conuiuia, quæ per vota publica fiebant, Imperatorum Christianorum constitutionibus aliquádiu per eandem Africam Gentilibus agitare licuisset, etiam Honorii *l.* 17. *Cod. Theod. de Paganis* A. D. 399. quanquam additâ cautelâ & taxatione, *absque vllo sacrificio atque vllâ superstitione damnabili*, quam legem etiam retinuit longè pòst Iustinianus (paucis annis labentibus, A. D. CDVIII. ab eodem Imperatore sublata penitus vetitáque fuêre, vnà cum cæteris paganæ superstitionis reliquiis, *l.* 19. *Cod. Th. dicto tit. de Paganis : Non liceat*, inquit, *omninò in honorem sacrilegi ritûs funestioribus locis exercere conuiuia, vel quidquam* SOLEMNITATIS *agitare*. In tantum etiam, vt Honorius Episcopis locorum hæc ipsa prohibendi Ecclesiasticæ manus facultatem tribuat eâdem illâ lege, quam Tribonianus tamen omisit, priore prælatâ.

Iam igitur liquidò tenemus horum temporum disciplinam, mentémque adeò Imperatorum Christianorum, omnem Constitutionibus suis μετοχὴν & συμφώνησιν, cúmque Gentilibus ἑτεροζυγίαν damnantium, si quid superstitionis & adsacrificii adhæresceret. Ac proinde manum è tabulâ nunc tollerem, nisi essent quæ contra tam certas constitutiones ex eodem sæculo, imò est & vbi ex Constitutionibus eorundem Imperatorum, pro contrariâ sententiâ à nonnullis adferrentur.

Primùm aiunt illi, Christianos tum temporis à Collegiis, φατρείαις seu φρατρείαις *Centenariorum & Dendrophororum* non abhor-

abhorruisse. Si argumentum quęras, non aliud habent, quàm quòd videāt inter cætera collegia, quæ Imperatores Christiani quoque tulêre, hæc ipsa fuisse: de quibus etiam peculiaris exstat titulus Codice Theodosiano, *octauus libri decimi quarti*. Hoc verò argumentum si valeat, iam colligamus, in vniuersum Christianis impunè Gentilibus & Iudæis esse licuisse: quando ibidem occurrunt tituli de vtrisque, *de Iudæis*, inquam, *& de Paganis*. Interim nunc non quæro, num centenarii & dendrophori illi, de quibus eo titulo agitur, iidem sint cum illis qui memorantur *l.* 20. *C. Theod. de Paganis*: illud certè clarum, Dendrophoros istos vnà cum Fredianis disertè vocari *Nomina & professiones Gentilitias*, dicique *loca ad superstitionem pertinentia tenuisse ephebis vel sumptibus deputata*, *errore Gentilitio*: haud aliter, atque alia loca erant, quæ sacris error veterum deputauerat. Quæ omnia ideò etiam Gratianus, & post eum Honorius, eâ constitutione priuatæ rei Principis sociari voluit. Similiter & *Centenarii* vnà cum Chiliarchis superstitioni paganæ seruientibus, in plebe videlicet distribuendâ eâdem lege adnumerantur, abolentúrque. Vnde apparet, tantum abesse, vt Christiani his corporibus seu collegiis nomina sua dederint, vt contrà, quamlibet paganis adhuc esse liceret, iíque cum Christianis in Republicâ Romanâ permixti agerent, hæc ipsa tamen collegia seu corpora, professiones & θρησκεῖαι, tandem abolitæ fuerint, velut superstitionis Gentilitiæ *confraternitates*.

Secundò aiunt, *Syriarchas*, Asiarchas, similésque (quæ olim prouinciarum sacerdotia dicebantur) Christianos quoque fuisse; imò, si Deo placet, iam ab antiquo D. Pauli temporibus. Quod omne gratis dicitur: Primùm enim, vt à postremo initium faciamus, ideóne Asiarchæ illi, de quibus Actorum *c.* 19. *v.* 31. Christiani fuêre, quia in tempore salutare consilium dedêre? Imò dedêre quoque illi, quia nempe Pauli amici erant, vt ibi dicitur, ὄντες αὐτῷ φίλοι, Paulúmque in theatrum sese dare nollent, quòd locus

ille Christianorum ad supplicium depostulationibus opportunus esset, & turbulentus. Deinde, quis fundus vel auctor illis, Christianos quoque Syriarchas & similes fuisse, quod de Donatistis saltem colligat quis ex *l.* 52. 54. *Cod. Th. de hæreticis*, quod nuspiam lego? Verùm, esto, fuerint, non ideò tamen isthæc cum Gentilibus seu Gentilitii ritûs participatio seu communio fuisset. Non in eam nunc ingredior quæstionem, quam tractarunt viri docti, Seldenus quoque *in marmora Arundeliana pag.* 163. 164. & obiter *in Eutychium Ægyptium*, quodnam istud Sacerdotii genus fuerit. Etsi enim verum sit, dignitatis quoque seu ἀρχῆς nomen fuisse, quod discimus ex *l.* 8. *π. de vacat. munerum*: & ex Strabone, *lib.* 14. *pag.* 457. vbi de Lyciarchâ agens, exertè eos concilii totius prouinciæ primates fuisse testatur, ἐν τῷ συνεδρίῳ πρώτην ἀρχὴν τοῦ συστήματος, verum nihilominus est, prouinciarum sacerdotia hæc fuisse, atque ita disertè vocari, ἐθνῶν ἱερωσύνας, *l.* 6. §. 14. *π. de excusat. tut.* imò & in Constantini M. adhuc *l.* 1. *Cod. de naturalib. liber.* & à Firmico *lib.* 4. *cap.* 15. Quomodo & illo respectu non omninò malè vetus Interpres Actorum, Ἀσιάρχαι *Principes Asiæ* vertit: *principes*, inquam, id est (vt Aurelianensis Episcopi hæsitationi satisfiat, *lib.* 1. *obseruat. cap.* 22. *pag.* 161.) principales prouinciarũ: quomodo *principes ciuitatum* hoc æuo dicti, *principes officiorum*: item, *principes agentium in rebus*, & similes: Illam, inquam, quæstionem in medio nunc relinquentes, tria circa hoc sacerdotii genus notanda sunt. Primò quidem *Nomen* ipsum, *Asiarcharum*, *Syriarcharum* & similium, nihil superstitionis præ se ferre, seu in nominis notatione nullam sacrorum vel cultûs rationem expressam. Secundò, certum & illud, præcipuum eorum munus fuisse Munerum & ferarum editionem: vnde & (quæ vulgaris iam obseruatio est) Rufinus *lib.* 4. *cap.* 14. Asiarcham *munerarium* rectè vertit. Postremò, persuasissimum mihi, eos hoc tempore, sub Christianis, inquam, Principibus, nihil aliud fuisse, quàm meros ferarum mu-

nerúmque editores, & Agonothetas, quomodo etiam vocantur *lege centes. nonâ Codice Theodosiano de decurionibus:* Sic quidem etiam, vt Theodosius Magnus munus id voluntarium esse voluerit, ad quod scilicet nemo cogi posset, *lege centesima tertia:* & *dicta lege centesima nona de decurionibus:* cuius alioquin Theosianæ constitutionis meminit quoque Libanius Orator Antiochenus, duobus locis: puta, *Oratione* περὶ ἀγγαρειῶν, *pagina trigesima sexta:* & *Oratione in Tisamenen, pagina quadringentesima quadragesima septima.* Et certè, cùm post dictam legem 1. *Codice de naturalibus liberis*, variis locis eorum mentio fiat, & nominatim Syriarcharum & Syriarchiæ *dicta lege centesima tertia*, & *lege prima eodem Codice Theodosiano de prædiis Senatorum: lege vltima de expensis ludorum*, vt & Codice Iustinianeo *lege vnica de officio Comitis Orientis:* & Nouellâ *Iustinianeâ octogesima nona, capite vltimo:* nullibi tamen vllum, vel minimum, superstitionis Gentilitiæ in hoc munere, non magis quàm in nomine, vestigium apparet: sed *Agonothesiæ* tantùm, vt dixi, nomine designantur: itémque horum nomen votiua festiuitatis solemnitas dedicasse dicitur, *dicta lege vltima de expensis ludorum*, ludique & munera Syriarchiæ & Alytarchiæ appellantur *dicta lege vnica de Officio Comitis Orientis.* Ac proinde sæculare hoc iam prorsus munus extitit, omni superstitione vacuum, vt nomine iam olim, ita & nunc quoque re ipsâ; quòd scilicet sumptum tantùm exigeret, atque inter patrimonialia munera censebatur. Quare etiam, non Syriarchiæ tantùm nomine aliquid à Senatoribus & Curialium possessionibus aliquando collatum, *d.l.1. C. Th. de præd. Senat. d.l. vlt de exp.lud.:* sed & munus istud, quod Curialibus initio impositum *dicta lege centesima tertia, centsima nona Codice Theodosiano de decurionibus*, & *dicta lege vnica Cod. de officio Comitis Orientis*, ad Iudices & Rectores prouinciarum transiit. *dicta lege vltima de expensis ludorum*, & *dicta*

lege vnica de officio Comitis Orientis. Igitur nulla iam communio huic muneri cum sacris Gentilium, verùm festiuitatibus tantùm publicis dicatum erat: vt pleraque etiam spectacula, quæ primâ sui origine sacrorum causâ, in Deorum honorem sacrilego ritu instituta fuerant, hoc tempore, superstitione omni, superstitiosóque fine sublato, voluptatibus tantùm publicis ludicrisque artibus seruiebant, quarum hæc ætas cupidissima erat, & Antiochia quidem, quæ Syriæ caput fuit, vbi Syriarchæ isti fuêre, & Syriarchia exhibita. Et post omnia, si quis pertinaciter contendat, hoc adhuc æuo huic muneri superstitionis aliquid & *adsacrificii* adhæsisse, quod nusquam apparet, tum aio, Christianos id sub Theosio Magno obire non potuisse: cùm iam suprà viderimus, eundem Principem ab Archierosynâ, seu Templorum & solemnium Gentilitiorrum curâ Christianos submouisse: inter quæ sanè *solemnia Templorum* fuêre & festiuitates ludique, quibus superstitionis aliquid adhæreret.

Tertium argumentum eorum qui non omnem cum Gentilibus olim μετοχὴν prohibitam fuisse censent, est, quo Christiani Principes ipsi iam in partes vocant. Nempe aiunt illi, Constantinum M. Valentinianum, Valentem, & Gratianum quoque ipsum aliquandiu, PONTIFICIS MAXIMI titulum gessisse: ac proinde, eatenus saltem Gentilitium munus noménque alienum à se non putasse. Eam porrò in rem principe loco Zosimo testimonium denuntiant, qui id disertis verbis scribit, *lib.* 4. *pag.* 760. 761. Ft fidem illius Baronius quoque sequitur, in annalibus, A. D. 321. *n.* 95. cùm priùs, in Notis *ad Martyrologium*: mendacii dicam Zosimo impegisset. Et rectè omninò. 1. Primùm enim, quis ipsi Zosimo auctor? quis fundus? Certè fabellam illam non à classicis fidéque dignis auctoribus accepisse se testatur ipsemet: verùm narrationem tantùm quę vulgò iactaretur, fuisse indicat, ἱστορούμενόν τι, inquit.

2. Deinde

2. Deinde qualis auctor hac in re Zosimus? Non iam dico, quòd perpetuum & internecinum Christianis Imperatoribus odium indixerit; verum istud, quòd similibus passim fabellis historiam suã implêrit: Iam suprà notauimus, quid in Constantinum circa haruspicinæ vsum iactauerit: quid in Innocentium Ep. Romanum finxerit, quasi is contra propriam conscientiam, aduersus οἰκείαν δόξαν, in sacra quædam Gentilitia consenserit. 3. Imò illud quoque deprehendo, peculiare Zosimi, vt aliorum Gentilium, pariter vt hæreticorum, in Gratianum odium fuisse, de quo Philostorgianę dissertationes iam aliquid monuêre, *in lib.* 10 *cap.* 5. Neque profectò deerant graues istius odii causæ: hic enim Princeps suos sacris sumptus detraxerat, sua sacerdotibus stipendia; idem & Aram Victoriæ euerterat: sub eodem portentosa simulacra diruta fuêre: quæ omnia discimus ex Ambrosio, Symmacho, Hieronymo. 4. Sed malam mentem à Zosimo abfuisse, odiiq; causas eum procul habuisse, largiamur, non idem circa eundem Gratianum fœdo errore lapsus est, cùm *lib.* 4. *p.* 760. cum Maximi Tyranni metu, transcensis Alpibus, Rhetiâ, Norico, Pannoniâ, in Mysiam superiorem tetendisse scribit? cùm eum Singiduni cæsum commemorat? quem tamen in Galliis PARISIIS proditione superatum fugientémque, *Lugduni* occisum, auctores alii constanter memorent. 5. Iam si cæteros scriptores in consilium adhibemus, altum eius, quod vnus Zosimus narrat, apud omnes silentium: quod in re tanti momenti quis credat? Ecquis enim putet, *Gentiles* scriptores alios, & in his Panegyristas maximè, quorum ferax hæc ætas fuit, id silentio transmissuros de Pontificatu videlicet Max. à Christianis Imperatoribus suscepto, qui inferioribus multò vectantur, aláq; laudibus attollere prompti sunt? Quis contrà putet, *Patres* scriptorésq; alios Christianos, vel Ecclesiasticos id reprehensione vacuum transmissuros, qui leuiores multò Principum culpas dissimulare non solent? Quis hæreti-

cos, infesto semper in Principes animo, id non eis obtrectaturos credat? 6. Iam si constitutiones Principum, si nummos ab his cusos spectamus, si incorruptas inscriptiones (de quibus mox plura) nullum ibi eius rei prorsus vestigium: cùm tamen hæc illa sint potissimùm, in quibus tituli Principum elucent. 7. Nunc, si ingenium atque indolem Christianorum Principum illorum, animiq; characterem, oculis nostris subjicimus, non illi modis omnibus atque innumeris costitutionibus, Gentilitiam superstitionem eradicare, atque ex hominum animis, quantum in se, & quatenus tempora ferebant, auellere annisi sunt, omnémq; participatum & communionem ritûs Gentilitii priuatis interdixêre, quod suprà vidimus? Quod cùm ita sit, quomodo illi orbis obsequium sperare vel procurare potuissent, si grauiora his ipsi admitterent, conspectiore in se multò crimine? Æmulandi quippe amor validior quàm pœna ex legibus: eáque Principum conditio est, vt quicquid faciunt, præcipere videantur. 8. Quid quòd scriptores Ecclesiastici, Theodoretus, *lib. 3. cap.* 1. Sozomenus, *lib. 5. cap.* 1. in Iuliano Apostatâ id ceu nouum iam & repetitum, notant, quòd is se ἀρχιερέα, nuncupauerit: quomodo ipse sanè in fragmento quodam *pag.* 546. ἀρχιερέα μέγιστον se vocat, vt omittam veteres Inscriptiones, vbi passim *Pontifex maximus* dicitur Et hactenus quidem liquere puto, quàm falsa sit Zosimi narratio, de Christianis Principibus nonnullis, quasi hi Pontificis Maximi titulum gesserint.

Quod *Gratiani* verò factum attinet, à quo titulum hunc repudiatum Zosimus scribit, Quis primò putet, egregium illud Gratiani facinus Patres & scriptores Christianos non saltem memoraturos fuisse, qui vt cæteroquin veras Principum Christianorum laudes dissimulare non solent, ita Gratianum ipsum, ob Christianæ fidei amorem pietatémque, sedulò deprædicant: in quibus Ambrosius & Ausonius. 2. Huic adde, quòd loci ratio huic narrationi renititur;

titur: Nam si Gratiano Pontificis Maximi habitus à Pontificibus oblatus, isq; ab eodem euestigio repudiatus, quod Zosimus narrat, tum id Romæ factum oportet, vbi Pontifices alii erant: Atquin Gratianum Imperatorem Romæ constitisse nuspiam legas.

Post omnia, si Zosimo fides habenda, certè narratio eius id perspicuè habet, quòd hic vnum adstruimus, nempe, participatum nominis habitúsque Pontificalis à Christiano alienum fuisse, & ideò à Gratiano spretum & repudiatum: ἀθέμιτον, inquit, εἶναι χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας. Bona gratia sit scriptori pagano, Christiani alioquin nominis osori, imò acerrimo insectatori, qui emblema istud libris suis indidit: vt iam pagani quoque scriptoris testimonio liqueat ἀναμφισβήτως, quænam Christianorum eâ tempestate hâc in re sententia fuerit, habitum videl. ritumq; Gentilitiæ superstitionis Christiano minimè conuenire, imò ἀθέμιτον id esse, seu nefas illicitúmq;: Haud aliter atque Theodosius M. *in l. 112. C. Th. de decurion.* quam superiùs exhibuimus, *indecorum esse, imò, vt verius dicamus*, INLICITVM, dixit, Christiano, Archierosynam amplecti, curæq; adeò suæ Templa Templorumq; solemnia facere. Tandem, etsi id largiremur, superiores ætate Principes Christianos ante Gratianum, hunc sibi titulum adsciuisse, certè hanc culpam Gratianus emendauerit, Zosimo teste: vt non hîc iam spectare deberemus, quid aliquando penso minùs consilio, ἀνοίᾳ vel ἀγνοίᾳ, ab aliis admissum fuerit, quàm quod vltimum meliore consilio Gratianus cæteriq; robustiores iam præstiterunt, Christianæ disciplinæ formulam in eo secuti: Hæc enim vera causa est, non quam commenti sunt, qui Zosimi narrationi fidem habent, quasi id Gratianus cęteriq; deinceps fecerint, quòd Episcopi Romani hunc sibi *Pontificis Maximi* titulum velut proprium tum adsererent.

Et Zosimo tamen fidem adstruere conantur nonnulli, tum testimoniis, tum argumentis aliis. Primum testimoniũ est *Ausonii*, quod C. Baronius A. D. 312. *n.* 97. & ex eo Morinus, *de Ecclesiâ liberatâ*, hanc in rem laudant: Aiunt illi,

Gratianum ab Ausonio, *in gratiarum actione*, Pontificem Maximum vocari. Id verò gratis dicitur, & quidem à Baronio *in Annalibus*, contrà quàm *in Notis ad Martyrologium*. Ausonius enim, duobus quidem locis, *cap.* 10. vel 11. *cap.* 18. seu 28. Gratianum Pontifici Maximo æquat, sed ob religionem & castitatem, vt ibi disertè addit. Sed & tertio loco, puta *c.* 12. seu 18. allusione tantùm quadam Gratianum Pontificem Maximum vocat, nempe respectu veterum *comitiorum* Pontificalium, ad quę Gratianus ipse literis suis allusisse videbatur: sic vt eum dicat instar Pontificis Maximi, non in comitiis Pontificalibus, verùm *Deo participatum* comitia habuisse.

Secundum testimonium est, quod petitur ex *veteribus Inscriptionibus*, in quibus Christianorum Imperatorum titulis, Pontificis quoq; Maximi titulus additus legitur: cuiusmodi sequentes occurrunt in Corpore Inscriptionum: Constantini M. *fol.* 283.*n.*1. 3. *fol.* 159.*n.*6. Valentis, *fol.* 286.*n.* 3. Gratiani, *fol.* 159.*n.*7. & similis altera, *fol.* 1082.*n.* 13. His adde & Valentiniani, Valentis, Gratiani, apud C. Baronium *an.* 312. *n.*96. Scio equidem, magnam esse sæpe quę ex vetustis inscriptionibus desumitur, fidem & auctoritatem: verùm, duo hac parte notanda sunt. Primò quidem, non Imperatores ipsos hunc sibi titulum in illis vindicare, verùm ab aliis, & superstitiosis quidem Romuli nepotibus Italisque tributum ibi exhiberi. Quo fortè sensu Seruius Honoratus *in* 3.*Æn.p.* 268. scripsit: *vnde hodièq; Imperatores* DICIMVS *Pontifices.* Quomodo etiam Gentiles hoc ęuo hostias pro Imperatoribus Christianis cædebant, extáq; inspiciebant: cuius rei exemplũ vel apud Am. Marcellinum *lib.*25.*pa.* 297. Secundò obseruandum, nonnullas ex Inscriptionibus illis liquidò, non in Christianorum primùm Imperatorum, verùm in Gentilium gratiam factas: quorum erasis postea nominibus, Christianorum nomina à Gentilibus suffecta eorumq; loco incisa insculptáq; fuêre. Exemplũ illustre, quod etiam obseruauit C. Baron. A. D. 312. *n.* 94. in Inscriptione Cõstantinian. *f.*283. Romę: vbi in basi marmoreâ ita legitur,

MA-

MAGNO ET INVICTO IMP. CÆS. C. VAL. AVREL. CONSTANTINO. PIO. FEL. INVICTO. AVG. PONTIF MAX. TRIB. POTEST. COS. III. PP. PROC. D. N. CORPVS CORIARIORVM &c.

Hæc, inquam, inſcriptio ſuperiori alicui Principi Gentili primitùs poſita fuerat. Quod duobus argumentis apparet. Primùm in ſiniſtro latere eiuſdem baſeos hæc leguntur.

DEDICATA KAL. IAN.
DD. NN. DIOCLETIANO III. ET
MAXIMIANO COSS.

Hic verò Conſulatus fidem planè facit, eam inſcriptionem Conſtantino anteriorem eſſe, in cuius tamen nomen ea poſtea mutata fuit: Quod mutationis genus videre eſt quoque in *Nummis* qui ſæpe noui Principis nomine recuſi: Vſurpatum & olim in *Imaginibus* & ſtatuis, quę in aliorum honorem tranſlatę, vel capite tantùm, vel titulis mutatis, quod μεταγράφειν dixêre, *ſurdo figurarum diſcrimine*: de quo Suetonius, *Tiberio c.* 58. *Caio c.* 22. Dio Chryſoſt. *Orat. Rhod. in id expreſſâ* 31. & *Corinthiacâ Orat.* 37. Pauſanias *in Atticis*, & in *Corinth.* Hieronymus *com. in* Habacuc. Par igitur & hîc mutatio: quæ & ipſa altero adhuc argumẽto oculis ſeſe ingerit: ſimul & luculentum imperitiæ & ἀβλεψίας teſtimonium perhibet: Pręnomina quippe ibi relicta, quę Conſtãtini M. nunquam fuerunt, C. VAL. AVREL. Conſtantino ſcil. pręnomen fuit *Flauii*: at illa Maximiano conueniunt: Maximiano, inquã, non Diocletiano, quod credidit Baron.

Hactenus Teſtimonia: nunc *Argumenta*, quib. Zoſimo fidem adſtruere conatur Baron. A. D. 312. & 383. & poſt eum Morinus *Eccl. liber. par.* 2. *c.* 14. Nempe ita cenſent illi, Chriſtianos Principes hunc Pontificis Max. titulum retinuiſſe, retineréq; potuiſſe, *abſque labe* ipſorum ſacrorum, ob ſummam poteſtatis iſtius amplitudinem, item *non ſuperſtitionis amore*, ſed juris ac poteſtatis cõſeruandę gratiâ, titulo tenus: rurſum, *abſq; Idololatriæ crimine*, non ad ſacra faciẽda, ſed ad auctoritatẽ poteſtatemq; ſibi vindicãdam. Iidemq; prolixè

causas huius facti edisserunt: nempe, quòd absq; eo titulo vix Imperator quisquā esse tum potuisset: eò quòd Senatus Populusq; Rom. in eum facilè cōspiraturus esset, quē viderent, non patriâ religione firmatū: Item, quòd amplissima huius supra Consules auctoritas esset: quę ideò pernecessaria visa Imperatoribus, vt summo religionis iure Senatū in Imperatores sępe molestū veluti frœno coërcitum in omnibus obsequētem redderent: & Christianis adhuc magis necessaria, quòd scirent, se inuito Senatu regnare, & diuersâ religione in se Gentiliū inuidiam atq; odiū concitasse. Ego verò Theologis discutiēdum relinquo, num istud dominationis arcanum, seu κρύφιον, an verò flagitiū fuerit, vel ex iis sanè quę totâ hac epistolâ prolixè dicta sunt, & proximè ex ipsomet Zosimo attulimus, ἀθέμιτον scil. εἶναι χριστιανῷ τὸ τοῦτο σχῆμα, satis liquet, num id facere potuerint Christiani Principes, *absque labe ipsorū sacrorū Christianorū, absq; superstitione vel Idololatriæ crimine*. De necessitate atq; vtilitate huius sophismatis nunc saltem videamus. Verum equidē est priscos Impp. Gētiles honorē Pontificis Max. ceu firmamētum potentiæ assumpsisse, sic etiam, vt & ipsa sacra interdū facerēt officioq; Pontificis reuerà fungerētur: veluti Domitianus, teste Plinio, *lib*.4.*epi*.11. Adrianus, auctore Spartiano *pag*. 11. Alexander Seuerus, vt prodit Lampridius, *in eius vitâ p*. 118. Verùm, amplectēdi huius tituli, quem à mixturâ seu μετοχῇ quadā Gētilitię superstitionis nunquam auellas, nulla Christianis Impp. necessitas fuit, quasi haud aliter securi futuri: quandoquidem potiore tum loco res Christianorum erant, Romę etiā, exolescēte in dies magis magisq; paganâ superstitione: vt proinde his retinaculis tum nil opus fuerit, quis paganorū odiū cohiberetur, vel Imperatorū potestas firmaretur: quos inde à Constantino Senatus quoq; populúsque Rom. velut liberatores vrbis, fundatorésq; quietis, lubētes accepêre: est & vbi votis expetitos summâ alacritate ingētique pompâ excepêre laudibúsque prosecuti sunt.

Subjicit tamē Baronius, *in Cōstantino saltē Pontificis Max. titulū magis adhuc ferendū seu excusandū, deniq; æquiorem eius*

causam

cauſã fuiſſe videri, vt qui Ethnicis Senatorib. Senatũ repletũ inveneris. Verùm de illo iam nõ quęritur, an Cõſtantinus excuſatior hac parte eſſe potuerit, quanquã & iſtud negamus: verùm, an id ab eo factum fuerit. Scio equidẽ Principũ ſępe moderationem vel συνυπόκρισιν, qui multa interim donare, atq; in ſe quoq; admittere ſolent, vt ſubditorum animos ad obſequiũ flectant, vel in obſequio retineãt: ſed quis μετοχὴν iſtã & Gẽtilitii moris & honoris participatũ in Cõſtantino M. credat ferátve, qui Chriſtianâ fide ſemel non imbutus tantũ ſed firmatus, atq; à Romanis expetitus, nouas quotidie rationes hinc Gentilitii ritûs abolendi, inde Chriſtiani cultûs propagãdi pertẽtabat? qui, ſi fides habẽda vitę ipſius ſcriprori (Euſebius hîc Cęſarienſis iam olim falsò creditur) Epiſcopũ ſeſe τῶν ἔξω palã profeſſus eſt: qui titulus opinor, cum Pontificis Max. titulo parum congruit? qui Chriſtianôs ad luſtrorũ etiam ſacrificia adigi noluit, eâ cõſtitutione, quam ſuperiùs expreſſimus & expendimus: qui ſæculares ludos celebrari noluit?

Sed addit Baronius, *Pontifices Chriſtianos hoc Chriſtianis Principib. permiſiſſe, vt Gentilitiũ Pontificis Max. titulum adſciſcerent.* At quo argumentô, quibus teſtibus? Nempe, quòd nulla penitus eâ de re eorũ objurgatio legatur, ſicut de aliis criminib. ab iis patratis. Ego verò cõtrà ſic arguã, neq; factum id ab Impp. Chriſtianis, quandoquidẽ eo nomine objurgari eos à Patrib. non legimus, qui leuiorib. alioquin de cauſis in eos inuehi eóſq; culpare ſolent.

Vltimũ Baronii pręſidiũ eſt, quod ait, *Chriſtianos Principes, non ſic vt cæteros Gẽtiles, veſtẽ ac titulũ ſumpſiſſe Pontif. Ma.* vt more ipſorũ, ſub terrã altâ ſcrobe merſi, necati in ſacrificio tauri ſanguinẽ excipiẽtes atque ebibentes, initiarentur, vel quòd Ioui Capitol. aliiſve Diis ſacra facerẽt (hæc enim perfecta fuiſſet Apoſtaſia, & Chriſtianæ religionis abdicatio, nec aliquo velamẽto diſſimulãda) ſed tantùm, quod ait Zoſimus, amictu oblato eóq; accepto Imperator titulũ Põtificis Max. vſurpârit. Aduerſus hoc κονοφύγίαν regerimus primò, non id Zoſimũ velle, quaſi in ſolo amictu titulóque

Pōtificatus hic cōſtiterit; verùm amictûs ſeu σχήματος ideò meminit, quod παράσημον id eſſet Pōtificatûs, quomodo purpurâ oblatâ, poteſtas ipſa Imperatoria olim deſignabatur. Verũ eſto, id Zoſimũ velle: At nos nõ de sũmo Apoſtaſias crimine (quanquã & id quoque Cōſtantino M. Baronius alibi objicit) hîc laboramus, ſeu de atrociſſimo ſuperſtitionis ritu ſeu actu, quem Prudentius exhibet, non quærimus, quẽ hîc Baronius vnũ ad amoliendam Pōtificalis tituli inuidiã, delegit: verũ de quacũq; tandem ſuperſtitionis ſpecie. Non ideò ſc. ab idololatria immunis credẽdus eſt, qui nõ atrociſſimo ritu fungitur, nõ ſacrificat, nõ ſacrificiis auctoritatẽ ſuã accõmodat. Et quanquã Principẽ vel in ſolo honoris nomine, hac poteſtate ſeu adminiſtratione ſuccinctũ inceſſiſſe, ſi credibile eſt id fieri potuiſſe, credamus (qualia fermè Tertullianus *de Idol.c.*17.18.ſcribit) vel ipsũ tamẽ titulũ, vel ipsũ σχῆμα, ipsũ illũ habitũ & ſuggeſtũ, ſeu veſtẽ Pōtifici Max. propriã intuêre. Fuit illa certè ἱερατικὴ στολὴ, quomodo Zoſimus ipſe eã vocat, ſacra veſtis, ſeu ſacerdotalis amictus & Gẽtilitius, pictáq; toga: proculdubio, nõ de Euãgelicâ aliquâ hiſtoriâ, quales Aſterius, *hom. de diu. & Laz. p.* 4. 5. ditiorũ ęuo ſuo in Cappadociâ veſtes deſcribit: Nõ itẽ Imperatoris alicuius imago in eâ intexta, qualẽ trabeã ſeu palmatã Gratianus Imp. de quo ipſo nunc agimus, Cõſuli Auſonio à ſe deſignato miſit: verùm ad morẽ Gentilitiũ proculdubio cõparata, myſticáq;, ἱερὰ στολὴ, qualẽ videl. Pōtifex Max. de minorũ Pontificũ paganorũ manibus accipiebat, eodẽ Zoſimo teſte: qualem induere Chriſtianis ἀθέμιτον fuiſſe, ex Gratiani mente idem refert. Qualẽ deniq; affabrè deſcribit Apuleius II. *Metamorph. p.*269.

Et hæc quidẽ aduerſus Zoſimũ, qui in Gratiano ſaltẽ pedem figit. At ſunt hodie, qui etiam poſt Gratianũ Chriſtianos Principes *Pontificis Max.* titulũ retinuiſſe ſcribunt. Quo argumẽto? Nẽpe in id laudãt Valẽtiniani & Marciani Edictum, quod inſertũ Tertię Actioni cõcilii Chalcedon. vbi Principes iſti *Pōtifices inclyti* vocãtur, etſi neuter eorũ *Pōtifex Max.* Ita equidẽ pręfert editio Colonienſ. Quẽteliana, quæ mihi ad manũ, *pag.* 826. & ſi quæ inde propagatæ: Verùm


falsò: neq; enim quidquã huius apparet in Græcis Codicib. *p.* 442. vbi Impp. illi αἰώνιοι Αὔγουστοι tantũ vocãtur. Et certè addictũ id, nõ ab otioso tãtùm, verùm stolido scriptore seu librario: quod Baronius rectè obseruauit A.D.452.*n*.1.2. cuiusmodi alia stoliditatis argumẽta ibi occurrũt; veluti, quòd ibi dicitur *Tribunitia potestas* vicesies & septies repetita à Marciano, qui tamẽ triũ tantũ annorũ Imperator fuit: præterquã quòd, vt id adjiciam, Tribunitia illa potestas in totũ Imperatoriæ adsecla, iam dudum exoleuerat. Adde quòd insolitâ formulâ ibi *Consul semel* vocatur.

Et sic cõfectã puto rẽ habemus, Impp. videl. Christianos in aliis atque in se communionem & participatũ omnẽ Gẽtilitii ritûs, nominísq; & muneris, damnasse, quod videlic. superstitionis cuiuscunq; vestigia adhuc retineret, vel solo etiam *Nomine* preferret. Nam quod ad ea attinet, quæ etsi à Gentilib. instituta primũ, tamen ampliùs ne ipso quidem nomine superstitionis vestigiũ præferrẽt, ea porrò stetêre, voluptatib. tantũ dicata, vt superiùs ostẽdimus: pariter vt Tẽpla quoq; quædã superstitione vacua ob publicũ ornatũ intacta mãsêre: sicut & stetêre, imò vsurpatæ palã à Christianis nudæ rerũ, tẽporum, locorúmq; *appellationes* seu nomẽclationes, citra noxã vllã, citrãq; Gẽtilitii ritûs participatũ: quæ videl. in cõmuni cõuersatione, atq; in vsu (penes quẽ jus est & norma loquẽdi) positæ erant. Sic enim & *Deos* porrò Christiani falsa numina dixêre: Sic & diẽ *Solis* nuncupauêre *l.* 1. *&* 2.*C.Th. de feriis*: *l.*1.3.*eod.Cod.de exact.l.*2. *de spect.* etsi additis quãdoque, quibus appareret, hanc sibi appellationẽ minùs probari: ita, *Solis die quẽ Dominicũ dixêre maiores*: at absolutè Imp. Theodosius Iun. *in l. vlt.C. Th. de spect.* diem Dominicũ dicere maluit. Sic & Templa, Gẽtilium more porrò designata, veluti Pantheon, Atriũ Mineruæ, vbi & propositæ Christianorũ Principũ constitutiones, ob populi videl. eò cõcursum. Quæ omnia iam olim Tertullianus, rigidus alioquin hac parte censor, *lib. de Idol.c.*20. quo tempore Gẽtiles imperiũ tenebat, damnare non sustinuit, si modò adprobatio vel participatus omnis abesset:

nam hæc, vt ipſe ait, *nobis, vt dicamus, cõuerſatio extorquet: nã id plerunq; dicẽdũ eſt, In tẽplo Æſculapii illũ habes: &, vico Iſidis habito, &, Sacerdos Iouis factus eſt, & multa alia in hunc modũ: quando & hominibus hoc genus nomina inducũtur. Neque enim Saturnũ honoro, ſi quẽ ita vocamus ſuo nomine: tam nõ honoro quã Marcũ, ſi vocauero Marcũ,* &c. Et mox. *Quod ſi Deos dicendũ erit, adjiciendũ eſt aliquid, quo appareat, quia non ego Deos illos dico: nam & Scriptura Deos nominat, ſed adjicit ſuos vel Nationũ* &c. Vt ergo illa excuſat Tertullianus, ita cõtrà præuaricationẽ fidei eſſe definit, ſi quis exem. g. dejeret *per Deos*, quod cõſuetudo ſæpe accedẽte ignorãtiâ nõnullis extorquet. Hæc, inquam, quæ dixi tulêre & vſurpauêre quoque Principes Chriſtiani quæ ab omni cõmunione ſeu participatu ſuperſtitionis abeſſent, ab omni φρατρείας & ὁμοζυγίας ſpecie. In eo tandẽ quoq; Chriſtiani Principes à participatu Gẽtilitio alieni fuêre, quòd *per Geniũ ipſorum* tum ampliùs nõ dejeraretur, quod Gentilitiũ, verùm *per ſalutem eorũ* hactenus, veterũ Chriſtianorũ more; quo certè iuriſiurãdi genere teſtatũ faciebãt iurãtes rem ita certã eſſe, ratáve fore, vti ſibi ſalus Principis curæ eſſet: de quo alibi dictũ.

Et hæc quidem hactenus, *Vir Doctiſſime & Celeberrime*, quæ & accuratiùs ab aliis ediſſeri, ornatiúſque inſtrui, & à me quoq; prolixiùs tractari potuiſſe ſcio: productâ etiam cõmentatione ad ea ſex quæ initio cõmemoraui *p.* 4. imò & *ad ritus Iudaïcos*, quorũ cõmunione & participatu Chriſtianis pariter interdictum, de quo eſt alioquin vel Chryſoſtomi Oratio. Verùm hæc in præſens velut ſignaſſe tantùm ſuffecerit, ne vel ſuſcepti argumenti fines, vel epiſtolæ modum egrediar: Quã & ipſam eo ferme fine àd te potiſſimũ dirigendã putaui, vt præter familiares literas, quæ inter nos dudum cõmeant, interituras, hæc quoq; Epiſtola quaſi κοινωνικὴ publicè extaret, *cõmunionis* inter nos, veteriſq; amicitiæ ſimul & obſeruantiæ in te meæ teſtis. VALE, Galliarum Belgiiq; decus.

FINIS.



00526741


La Spezia
LABORATORIO
SANT AGOSTINO
vico S.Giovanni 4